



## C L A S S I S X V.

CORPORA SVBMARINA PLAN-  
TIS ANALOGA.*Corallia. α) Alba.*

**C**orallium album oculatum officinarum I. B. *hist.*  
III. p. 577. Madrepora simplex ramosa, ramis  
teretibus laevibus tubulosis, lamellis integris L I N N.  
*H. Cliff.* 481.

*β) Rubra.*

Corallium rubrum C. B. *Pin.* 366. Millepora  
rubra, striis obsoletis flexuosis L I N N. *Mat. med.*  
*regn. anim* 66. in mare mediterraneo, Baltico, septen-  
trionali &c.

Fruticem aspectu aemulantur, sed qui foliis destitu-  
tus est. Lapideam naturam habent, & crusta tartarea  
recta sunt, quae quamdiu subter aqua haeret, mollis  
& mucosa est, post vero induratur. Inter plantas re-  
vera numeranda essent, si quos MARSIGLIUS *Hist. de*  
*la Mer* & nouissime quoque HILLIUS *ess. on nat.*  
*hist.* & TARGIONI *viagg. in Toscan.* II. vidit, flores  
haberent. At cum alii ex toto reclamant, polypos  
esse contendentes, qui flores illos imitentur, dum se  
explicent, inter quos cel. PEYSSONEL *Act. Par.* 1727.  
IVSSIEV *ib.* 1742. & ELLIS *nat. hist. of the Corallin.*  
vt plures taceam, numerandi sunt, qui adeoque domici-  
lia esse polyporum, et ab his fabricata, contendunt;  
contra vero alii, vt Cl. GINANNI *Opere posthume,* &  
*Equ. de BAILLOV Memor. dell. Soc. Colomb.* I. n. 7.  
id

id rursus negant, adeo nec polypos vnquam ibi videre potuerint: hinc tota quaestio de coralliorum ortu suspendenda est, donec plures obseruationes hanc vel illam sententiam vel plus vel minus stabiliant. Adhaerent autem corallia basi teneriori variis corporibus solidis submarinis, lapidibus, conchyliis, animalium ossibus, fictilibus etiam, aliisque rebus, quae forte in mare deciderunt, vt in aedibus Instituti Bononiensis marchasita asseruetur, cui corallium adhaeret, *Comm. Bon. T. II. P. I. p. 75.* Ruber etiam & albus ramulus interdum ex vno trunco prouenit **MARSIGL.** Lenem absorbentem virtutem habent, praetereaque nil veri praestant. In rubris aliquid martialis est **GEOPR. Mem. Par. 1708.** Vtraque vsta in calcem mutantur, quam nonnunquam etiam Gothlandi inde parant **LINN. Cor. Balt.**

*Spongia.*

Spongia ad vsum praestantissima, foraminibus exiguis peruia **TOURN. inst. 575.** Spongia tenax subramosa, ramis difformibus perforatis **ROYEN. lugd. bat. 521.** in mari.

Sanguinis proflauium sistit **DIOSC.** vlcera exsiccat et vulnera conglutinat **ID.** extus quidem imposita; immissa enim dilatat ea. Combusta inter pulueres aduersus strumas recipitur.

